



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Concilivm Silvanectense, In Qvo Episcopi Dvarvm Provinciarvm,
Senonensis ac Rhemensis, Caroli regis iussi congregati, Carlomanum eius
filium clericum, ob varias grassationes & perduellionem, diaconi ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

IOANNES C. CABIL. ET SILVAN. LUDOVICVS II. IMP. 385
P. VIII. CAROLVS CALVVS R. F.

tifici competit , pontificali beneficio vos in perpetuum possidere , & in principalibus ecclesiis iuxta primatum vestrae consecrationis vicissim officia diuina peragere , & earum oblationibus , salua semper cardinalium diaconorum prisca consuetudine , æqualiter participare tam propter usum vestrum , quam in ecclesiarum vestrarum luminum concinnationes .

ANNO
CHRISTI
873.

CONCILIVM CABILONENSE
IN ECCLESIA SANCTI LAVENTII
trans Ararim celebratum anno Christi DCCCLXXIII.

SYNODI huius meminit Petrus a sancto Juliano in histo-
ria rerum Cabilonensium , adeamque conuenisse narrat Remi-
gium Lugdunensem & Adonem Viennensem archiepiscopos , Liu-
donem Aeduensem , Girboldum Cabilonensem , & Bernardum
Matisonensem episcopos , Leuboinum item chorepiscopum Lug-
dunensem , cum abbatibus & clericis ac monachis permultis . Me-
minit & decreti ab ea conditi de ecclesia sancti Laurentii , in qua
Synodus agebaratur , cum de ea quereretur , liberame ac sui iuris esset ,
ans sancti Marcelli ecclesiæ , quod ista contendebat , potestati obno-
xia . Qua de re quid statutum sit a Synodo , non declarat . Decreto
autem appositam fuisse notam testatur anni Caroli Calui regis in
Lotharii nepotis sui regno tertii , qui incidit in annum regni eius
XXXIII . Christi DCCCLXXIII .

CONCILIVM SILVANECTENSE ,
IN QVO EPISCOPI DVARVM PROVINCiarVM ,
Senonensis ac Rhemensis , Caroli regis iussu congrega-
ti , Carlomannum eius filium clericum , ob varias
grassationes & perduellionem , diaconi gradu deiece-
runt , laicæque communioni reddiderunt , anno Chri-
sti DCCCLXXIII .

CAROLOMANNVM Caroli Calui regis filium , Melden-
sis ecclesiæ diaconum , in custodiam , propter rebellionem &
Concil. Tom. 24. CCC

386 IOANNES C. SILVANECTENSE. LUDOVICVS II. IMP.
P. VIII. CAROLVS CALVVS R. F.

infidias in patrem , apud Siluanectensem urbem missum anno
D C C C L X X . fuisse supra dictum est ex Aimoino lib. v. cap.
XXIV. Eum inde deprecantibus Hadriani papæ legatis solutum,
patremque in expeditione aduersus Gerardum sequi iussum , idem
est auctor cap. XXV. At fuga mox elapsus in Belgicam , quod di-
reptionibus omnia fædaret , patris iussu primum ab episcopis peren-
cyclicas literas excommunicatus , tum deinde Synodi apud Silua-
nectum , ubi iterata custodia tenebatur , sententia diaconi gradu
exauctioratus , atque in laicorum ordinem reieclitus est. Quia de re
in hæc verba idem Aimoinus cap. XXIX. Quia multi erant,
inquit , in regno Caroli , & in aliis regnis , qui expecta-
bant ut per Carlomannum filium eius adhuc rediuiua
mala remergerent , episcopos apud Siluanectensem ciu-
tatem , in qua idem Carlomannus morabatur , conuoca-
uit , vt secundum sacros Canones episcopale ministerium
exequerentur. Quod sane ipsi fecerunt , deponentes illum
secundum sacras regulas ab omni gradu ecclesiastico , lai-
ca sibi communione seruata. Synodi huius acta non habemus:
fuisse aliquando constat in codice sancti Laurentii Leodicensis , in
quo hærent adhuc singularum Synodi partium tituli , quinque ca-
pitibus distincti , id est:

- I. Proclamatio diuersarum querimoniarum Caroli ad-
uersus Carlomannum , scripta ad Ansegisum archi-
episcopum , & Hildegarium Meldensem episcopum ,
conclusa in capitulis xv.
- II. Epistola eiusdem Caroli regis de eodem Carlomanno.
- III. Recapitulatio prioris epistolæ , scilicet ad Ansegisum
& Hildegarium , ac ceteros episcopos ex duabus pro-
uinciis Senonum & Rhemorum , qui sacro Conuen-
tui apud Siluanectis adfuerunt.
- IV. Sententiæ iudicariæ in Carlomannum prolatæ : sed &
subscriptiones episcoporum simul insertæ.
- V. Tria capitula a rege Carolo episcopis data , vbi accusa-
tio aduersus Carlomannum , & quæsitio consilii de eo
tenendi continetur.

NOTA IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

Concilium Siluanectense.] Ex Synodi huius actis , post indicem
quem descripsimus , restabat in veteri codice initium proclamatio-

IOANNES C. DVZIACENSE II. LUDOVICVS II. IMP.
P.VIII. CAROLVS CALVVS R.F. 387

nis Caroli regis hoc titulo : *Carolus gratia Dei rex Ansegiso & Hildegarie ac ceteris episcopis, qui in Christi nomine congregati huic sanctae Synodo interefis* : Omibus negotiis diuinæ res præponendæ sunt. & cetera, vsque ad finem pagellæ. Reliqua enim ad delendam, vt reor, funestii iudicii memoriam, iam olim excisa.

ANNO CHRISTI
874. CONCILIVM DVZIACENCE II.

ADVERSVS INCESTA CONIVGIA, ET RERVM ecclesiasticarum peruationes, apud Duziacum villam, Idibus Iuniis, indictione VII. celebratum, anno Christi DCCCLXXIV. Ioannis papæ VIII. anno II. Caroli Calui regis XXXV.

EPISTOLA SYNODICA CONCILII
ad episcopos Aquitanie.

SANCTA Synodus plurimarum prouinciarum, nutu diuino, & sanctione domni Caroli regis gloriosi, apud Duziacum secus municipium Mosomum Rhemensis parochiæ, in Dei nomine anno incarnationis dominicæ DCCCLXXIV. indictione VII. Idibus Iuniis conuocata, dilectis fratribus & venerabilibus confessoribus nostris, in prouinciis Aquitanicæ regionis sanctas Dei ecclesiæ gubernantibus, plurimam in Saluatore salutem. Sicut ad humilitatem nostram non incerta relatione atque exinde consultatione peruentum, quamplures, & maxime carne nobiles, & honore temporali sublimes, inter alia Deo & suæ saluti contraria, incestis coniunctionibus, & rerum ecclesiasticarum peruationibus, pestilentia exitiosa in regionibus illis depereunt: assumentes de incesti pollutione velamentum securitatis quorumdam praua & peruersa doctrina, de hoc quod S. Gregorius, sanctæ catholicae atque apostolicæ Romanæ primæ sedis ecclesia pontifex, Augustino primo Anglorum episcopo interroganti usque ad quotam generationem fideles debeant cum propinquis sibi coniugio copulari, & si nouercis & cognatis liceat coniugio copulari, rescripsit dicens: Quædam terrena lex in Romana republica permittit, ut siue fratris & sororis, seu duorum fratrum germanorum, vel duarum

Responfa.
interrog. 6.

Concil. Tom. 24.

Ccc ij